

Exempli gratia, placuit ex tabula proportionum sumere partem proportionalem, cum arcus minutis 39. secund. 54. tert. 17. de 60. ad differentiam mi. 53. 29. 45. Quæro primo minuta arcus in margine superiori in linea transversali, quæ duco in omnes differentia numeratores, quos in linea lateraliter descendente versus sinistram inquirō, & occurrunt in angulo communi ex ductura 39. mi. arcus in 53. minuta differentia, 34. in minutis & 27. in secundis. Deinde eadem arcus minuta in 29. duco secunda, & extrahuntur 18. secund. & 51. tert. Demum prædicta mi. arcus in 45. tert. multiplico, quorum angulis communis 29. in tertijs & in quartis 15. ostendit, quæ simul addita producant 34. in mi. 46. 20. 15. Quibus expeditis mi. arcus abhincio, eiusdem uero secunda, scilicet 54. modo dicto per omnes numeratores dictæ differentia multiplico, & primo per eiusdem minuta, quæ 47. secund. & 42. tertia producant. Secundo uero per differentia 29. secund. unde 26. tertia, 6. quart. tunc prouenient. Tertio etiam per 45. tertia duci debent, quo factō 40. quarta 30. quæ quinta prodibunt, quæ simul iuncta prioribus aggregato unita 35. mi. 34. secund. 29. 1. & 30. constituunt. Haud secus operandum erit cum 17. tertijs arcus, quæ etiam in 53. mi. differentia multiplico, & proueniunt 15. tertia & unum quartum, deinde quoque in 29. secunda eiusdem differentia, & eorum communis angulus 8. quarta, 13. quinta ostendit, ultimo uero prædicta 17. tertia arcus in 45. tertia differentia ducta, 12. quinta & 45. sexta producant, quorum omnium collectio proximoque aggregato adiecta præcedenti, summam totius producti demonstrat, scilicet 35. mi. 34. secund. 44. 10. 55. 45. quæ est pars proportionalis totius differentia respectu proportionis assignata arcus præfigurati.

## De Diuisione.



Diuisio etenim non est aliud, nisi multiplex diuisoris de diuidendo abstractio, & in tribus continue uersatur numeris, quorum diuidendus est primus, qui in præcedenti producti nomen sibi uendicabat. Secundus uero diuisor appellatur, & in multiplicatione non differt a multiplicante. Tertius uero quoties dictus, quem multiplicatio denominabat multiplicandum, quæ cum sint species oppositæ, eadem disciplina adipiscuntur. Sicut ergo per tabulam uulgo de parte proportionali dictam, ipsa perficitur multiplicatio, ita & præsentis speciei operatio per eandem tali modo extrahitur. Quæratu primo diuisor ipse in denominatione grossiori in fronte tabulæ, & in columna eius descendatur, donec numerus diuidendo æqualis aut proximus eo inueniatur, in cuius è directo linea numeri sinistri lateris, quoties monstrabit, qui semper supra caput diuidendi poni debet in loco sibi debito, ut dicitur infra. Deinde idem quoties per omnes figuras quarumlibet denominationum diuisoris, multiplicetur per præcedentem, & productam diuidendo in locis debitis subscribatur, ac eo ipso de diuidendo subtracto, si quid tamen diuidendi remanserit, de eo ipso more dicto quoties denuo inquiratur, subtiliori tamen denominationi immediate sequenti subiacebit, repetaturque prior operatio, donec nihil inueniatur de numero diuidendo, aut iam diuidendi nulla ulterior urgeat necessitas. Si autem inueniri non poterit aliquis numerus denominationis subtilioris immediate continuans quotientis ordinem, loco ipsius scribatur cyfra, & quæratu numerus denominationis sequentis, & prior redeat operatio. Cuius autem denominationis sit, & in quo loco quotientis ponendus, quilibet numerus in diuisione modo dicto repertus, regulæ sequentes edocebunt. Prima, si gradus diuiseris per gradus, dummodo diuidendi sunt diuidentibus pares, in quotiente ueniunt gradus, quare tunc numerus quotiens scribendus est supra gradus diuidendi. Secunda quæcunque minutiam per gradus diuiseris, numerus quotientis

quotien